

pondeo, quod illud est verum & procedit quando pater aliquid dimittit de suo patrimonio: sed in nostro casu non dimittit aliquid, sed tantum renuntiat lucro legali, & desinet acquirere; unde talis refutatio & remissio bene valet & tenet: & ista est vera & fundamentalis ratio textus in dict. §. Sin autem, & confirmatur per textum expressum in leg. Si sponsus. §. Si maritus ff. de Donat. inter virum & uxorem, ubi habetur, quod licet donatio inter virum & uxorem non valeat, tamen bene potest unus renuntiare hereditatem, vel legatum favore alterius, & ut ei quaratur. Confirmatur etiam per textum in leg. Qui autem. ff. Quae in fraud. cred. ubi habetur, quod licet debitor non possit alienare bona sua in fraudem creditorum, tamen bene potest renuntiare & repudiare hereditatem vel legatum sibi delatum in bonis alterius; nec possunt creditores illam renuntiationem revocare: etiamsi fiat in eorum fraudem, quia non diminuitur patrimonium debitoris.

10 Dubium tamen singulare & necessarium est, si pater non remissit expressè prædictum usumfructum, sed videat, permittat, aut consentiat quod filius percipiat fructus bonorum adventitiorum, an per hoc videatur sibi remittere totum usumfructum in perpetuum? Et breviter & resolutivè dico, quod tantum videtur remittere & donare fructus quos ipse filius percepit vidente & consentiente patre, non verò totum usumfructum in perpetuum: (b) Unde sequitur, quod poterit pater quando volet revocare, & fructus percipere; quia illa scientia & patientia patris non extendit effectum suum ultra tempus in quo fuit præstita: ita etiam probat text. notabilis & expressus in dict. §. Sin autem, ibi: Sed quasi diuturna donatione in fil. celebranda qui usumfructum detinuit; & ibi expressè tenent & declarant Bart. Cin. Paul. Salyc. & communiter DD. Confirmatur quia præsumptio quae resultat ex scientia & patientia alterius, non extenditur ultra quam patientia interveniat: argumento text. in leg. 1. §. Julianus. ff. de Itinere utruque privato. Item etiam, quia actus agentium non debent operari ultra eorum intentionem, ut in leg. non omnis. ff. Si cert. per. cum similib.

Ex quo textu sic intellecto, juncta superiori ratione, infero primò, quod talis donatio vel

remissio non potest revocari per alios filios tanquam inofficiosa, cum aliquid de proprio patrimonio non dimittit: nec computabitur in 3. & 5. bonorum: sed ultra eam poterit pater in aliis bonis illum filium vel quemlibet alium meliorare, quia talis ususfructus renuntiatus non censetur esse de bonis & patrimonio patris. Secundò infero & singulariter, quod talis filius, cui est donatus aut remissus prædictus ususfructus, non tenetur eum conferre cum aliis fratribus suis, sed præcipuum debet habere: Primò, quia non est propriè donatio de bonis & patrimonio patris, sed quaedam refutatio & remissio ususfructus & juris sibi competentis in bonis filii: Secundò, quia textus in dicto §. Sin autem expressè dicit, quod non auferatur, ut patet in text. ibi: Ita causa intelligatur ut eundem usumfructum post obitum patris ipse lucretur, & per illum textum ita expressè tenet Bald. in Authentic. ex testamento. Cod. de Collat. 4. column. versic. Novum capitulum est, licet ibi Jas. 1. column. num. 2. velit contrarium.

Tertio principaliter limita & intellige, ut procedat præterquam si mater, vel consanguineus, vel extraneus donet vel relinquat filio aliqua bona hac conditione, ne patri queratur ususfructus: quia voluntas disponentis est servanda, & hoc casu ususfructus non queritur patri: textus est formalis & expressus in Authentic. excipitur. Cod. de Bonis quae liber. cujus verba sunt: Excipitur quod eis datur vel relinquatur ab aliquo, conditione hac adjecta ne patri perveniat ususfructus. & ibi notat & commendat Gloss. ordinaria & communiter DD. text. in Authentic. ut licet matri & avia, versic. 1. collat. 8. & ibi DD. (c)

11 Dubium tamen pulchrum & quotidianum est, an prædicta dispositio procedat in legitima debita à matre, vel ab ascendentes ex linea materna ipsi filio vel filia? Et similiter, an habeat locum in tertio bonorum, ut possit mater vel ascendens filio vel filia relinquere sub prædicta conditione, ususfructus ejus non queratur patri? Et videtur quod sic: Primò, quia prædicta jura loquuntur simpliciter & indistinctè. Secundò, quia per talem conditionem filius non gravatur, imò recipit commodum & utilitatem; unde videtur valere, & nullo modo debet rejici, argu-

(b) Et id testatur Matienz. in leg. 1. titul. 1. lib. 5. glossa 2. num. 23. & in leg. 1. titul. 6. lib. 5. glossa 4. num. 18.

(c) An autem è converso, filio non petente usumfructum, videatur patri remittere? Et videri expressè confirmat Castill. hic, super gloss. verb. Restituti, in donatione: sed contrariam sententiam multis argumentis defendit Gutierrez. de Juram. confir. 1. part. cap. 4. num. 18. questionem latè disputans à num. 6. Aceved. in leg. 9. titul. 1. lib. 5.

gumento text. in leg. Filiis matrem. Cod. de Inoffic. testam. ubi habetur, quod mater, quae de mariti moribus suspicatur, potest filium vel filiam instituere sub conditione, si à patre fuerint emancipati: & ex isto fundamento & ratione ita tenet Glossa ordinaria in dict. Authentic. ut liceat matri, versic. 1. in verb. Participes fiunt, & ibi Ang. de Perus. 1. column. num. 2. Jacob. de Bellovis. 2. column. final. quest. cum modificatione, ut procedat quando filius esset minor 25. annorum: tenet etiam Bald. in dicta leg. Filiis matrem. 2. column. num. 6. Cod. de Inoffic. testam. & ibi Paul. in fine, & clariùs & expressius ibi Salyc. 2. column. in fin. num. 8. qui dicit, quod ista est magis communis opinio: Jas. final. column. num. 6. versic. Secundò limita, tenet etiam Bald. ubi singulariter loquitur, in leg. Filia cujus, final. column. & quest. Cod. Famil. erisc. idem Bald. in leg. Quoniam in prioribus. 1. column. 2. oppos. Cod. de Inoffic. testam. & ibi Jacob. Butr. & Salycet. idem Bald. in Authentic. ex causa. Cod. de Liber. præter. 7. column. 4. oppos. Sed his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam, imò, quod talis conditio non valeat respectu legitimæ, sed ipso jure rejiciatur de ea. (d) Primò per textum in leg. Quoniam in prioribus. Cod. de Inoffic. testam. ubi habetur, quod onus, gravamen, vel conditio indistinctè & generaliter tollitur de ipsa legitima, & debet remanere libera; ergo simpliciter intelligatur, tam respectu filii, quam patris, cui queritur jus ususfructus in ea. Secundò, quia textus in dict. Authentic. ut liceat matri & avia, versic. 1. hoc subtiliter & expressè probat, ibi dum dicit, hoc enim & extraneis relinquere poterant, unde nulla parentibus utilitas nasceretur, in quibus verbis aperte dat intelligere, quod ille textus & ejus dispositio loquitur in bonis ultra legitimam, quae poterat mater vel ascendens ex ejus linea relinquere extraneo; non verò in ipsa legitima, quae de necessitate debet filio liberè relinqui: & per ista jura istam sententiam & conclusionem tenet Bartol. in dicta Authentic. excipitur. Cod. de Bonis, quae liberis, & ibi Paul. de Castr. licet male alleget Glossa in dicta Authentic. ut liceat matri & avia, quia illa potius dicit contrarium: & idem tenent ibi Fulgos. & Philip. Corne. istam etiam sententiam & conclusionem tenet Bartol. in tractat. de Duobus fratribus. 4. column. quest. 7. principal. Alexand. in leg. Cum ex filio, fin. column. in fine. ff. de Vulgar. & pupil. idem Alexand. ubi videtur dicere hanc esse magis communem opinionem, in leg. Mulier. ff. ad Tre-

bell. 1. column. versic. Sed advertte. Fabian. de Giochis in Repetitione Authent. novissima. Cod. de Inoffic. testam. num. 141. Doctor de Segur. in Rep. leg. Unum ex familia. §. Sed si fundum. 46. column. versic. Ex his infertur. Roder. in sua Repet. leg. Quoniam in prioribus. Cod. de Inoffic. testam. fol. 49. column. 2. versic. Hoc præsupposito est difficultas singularis.

12 Quarto principaliter limita & intellige, præterquam si pater una cum filio succedit alteri filio in bonis adventitiis quae habebat: quia licet pater sit in proximiori gradu lineae ascendentium, & alter filius fraterque defuncti in secundo gradu lineae transversalis; tamen uterque pariter concurrat & admittitur pro virili: textus est in Authentic. defuncti. vers. 1. Cod. de ad Tertul. textus in Authentic. de her. ab intest. venien. §. Consequens, & §. Si igitur, collat. 9. Hoc enim casu pater non habet usumfructum in illa medietate & parte virili, in qua succedit alter filius fraterque defuncti; sed pleno jure pertinebit filio, tam in proprietate, quam in usufructu: & hoc casu extinguitur ususfructus, quem antea pater habebat in illa parte & portione: text. est in Authentic. item hereditas. Cod. de Bonis, quae liberis, cujus verba sunt: Item hereditas fratris, sororisque, ad quam una cum patre admittetur, & forsitan aliunde queratur lege prædicta, & ad hoc notant & commendant ibi Glossa 1. ordinaria, Odofred. Cin. Alber. Angel. Salycet. Paul. Corne. & communiter DD. textus in Authentic. de hereditibus ab intestat. venien. §. Si igitur, versic. Si verò cum ascendentibus, collat. 9. & ibi DD. Advertendum tamen, quod ista dispositio hodie in nostro regno est correctæ; quia, mortuo filio, pater solus succedit, excluso alio filio fratreque ipsius defuncti: ita expressè disponit lex 17. supra his legibus Tauri. & ibi dixi: Unde, hodie ista limitatio & conclusio non potest procedere: imò solus pater habebit omnia bona adventitia filii in proprietate & usufructu & alter filius fraterque defuncti prorsus excluditur ab ejus successione.

13 Unum tamen est, quod est dubium, singulare circa hoc: Si forte quidam extraneus instituit aliquem heredem, & filium ejus in potestate: quo casu censentur æqualiter instituti pro dimidia: an hoc casu pater habeat usumfructum in illa dimidia, quae pertinet filio suo coheredi? Et videtur quod non, argumento text. in dict. Authentic. idem hered. Cod. de Bonis, quae liberis, & in Authentic. unde sumitur, quia si eo casu, quo

(d) Quam etiam veriolem testatur Matienz. alios referens in dict. leg. 9. titul. 1. lib. 5. glossa 2. num. 14.

quo ab intestato pater & filius simul succedunt alteri filio, pater non habet usumfructum in parte & portione alterius filii coheredis, ut in *dictis* iuris: ergo eadem ratione, quando extraneus instituit ipsum patrem & filium ejus in sua hereditate, non debet habere usumfructum in illa parte & portione filii instituti. Confirmatur, quia ex voluntate & dispositione defuncti ista videtur regularis natura & effectus institutionis, ut uterque hæres simpliciter institutus æqualiter succedat in proprietate & usufructu: ergo in nostro casu pater & filius simpliciter instituti ab extraneo, admittantur viriliter in suis partibus, tam in proprietate, quam in usufructu; & in expresso pro hac sententia & conclusione facit textus in *dicta* *Authentic. item hereditas, versic. fin.* cujus verba sunt: *Et forsitan si aliunde queratur, leg. Prædicta, & in terminis istam sententiam & conclusionem tenet ibi Glossa ordinaria final. in 2. intellectu.* Salycet. & Paul. de Castr. Sed his non obstantibus, contrarium est tenendum, imò quod pater habeat usumfructum in parte & portione filii coheredis & ita tenet Jacob. de Aretin. in *dicta* *Authentic. hereditas, & ibi* Cin. Alber. Angel. Philip. Corne. & magis communiter DD. Nec obstat text. in *dict. versic. fin.* quia secundum eos refertur ad superiorem *Authentic. Excipitur, & debet esse ejus finis.*

14 Item adde, quod in casibus in quibus pater habet usumfructum in bonis filii virtute patriæ potestatis, efficitur per legem legitimus administrator prædictorum bonorum, & potest in iudicio, & extra iudicium omnia agere, tanquam si esset dominus eorum: adeo quod non requiritur aliquod decretum vel autoritas iudicis, & quod iudex decernat sibi licentiam & facultatem administrandi; sed statim ipso jure per legem efficitur legitimus administrator in prædictis bonis: textus est capitalis & expressus in *leg. 1. versic. 1. Cod. de Bonis matern.* cujus verba sunt: *Omnem debent tuendæ rei diligentiam adhibere, & quod jure filiis debetur in examine per se vel procuratorem poscere, & sumptus ex fructibus impigre facere, & litem inferentibus resistere, atque ita omnia agere, tanquam solidum perfectumque dominium eorum eis acquisitum fuisset, & personam gerant legitimam;* & ibi ad hoc notat & commendat Glossa ordinaria & communiter DD. & idem disponit *leg. 5. in fin. tit. 17. part. 4.*

15 Et in tantum hoc est verum, ut finito usufructu & legitima administratione, non teneatur pater reddere rationem prædictæ administrationis, nec pro culpa & negligentia ejus bona patris sunt tacite hypothecata: textus est in *leg. Cum oportet. §. Non autem hypothecam. Cod. de*

Bonis, quæ liber. cujus verba sunt: *Non autem hypothecam filii familias adversus res patris viventis adhuc, seu jam mortui, sperare audeant, nec ratiocinia ei super administratione inferre:* & ibi notant & commendat Bartol. Odofred. Cin. Jacob. Bald. Angel. Salycet. Paul. Philip. Corne. & communiter DD. Unum tamen est, quod eo casu quo pater alienavit bona mobilia & immobilia filii, potest filius ea à quolibet possessore petere & vindicare; & bonis non inventis vel repertis, potest pretium & æstimationem ab ipso patre & ejus successoribus petere, & pro hoc habet bona patris tacite hypothecata: textus est in *dict. leg. Cum oportet. §. final. Cod. de Bonis quæ liber.* & ibi communiter DD. Nec obstat textus qui videtur huic contrarius in *dicto §. Non autem hypothecam.* Quia debet intelligi, quod bona patris non sunt tacite hypothecata pro administratione culpabili, quia nec pro ea personaliter tenetur: secus verò pro administratione dolosa, ut est bona propria filii scienter alienare; quia hoc casu bona patris sunt tacite hypothecata: & ita debet intelligi textus in *dict. §. fin.* & ita tenet & declarat Glossa ordinaria in *dict. §. Non autem, in glossa 1. in fine,* & ibi Cin. post Richard. Matth. in *dict. leg. Cum oportet. 2. column. 4. oppos.* Jacob. Butr. Bartol. Bald. Salycet. Paul. Philip. Corne. & communiter DD.

16 Advertendum tamen, quod licet ita sit de jure communi; tamen hodiè de jure regio videtur dispositum, quod si pater alienat bona adventitia filii quæ administrabat, mobilia vel immobilia, etiamsi reperiantur penes tertium possessorem, non potest filius petere nec vindicare ab eo prædicta bona; sed tantum potest agere contra patrem vel ejus successores ad pretium & æstimationem eorum: nisi talis filius sit hæres patris; quia tunc pro ea parte pro qua est hæres, non potest agere: ita expressè disponit nova & singularis *leg. 24. tit. 13. part. 5.* ad quam cogita responsum. Item adde, quod talis pater non tenetur facere inventarium; quia non sunt simplices & nudi administratores, imò habent magnum jus in prædictis bonis: Item, quia lege non cavetur: Item, quia tantum tenentur facere inventarium, qui de jure tenentur reddere rationem, & sic se habet consuetudo: ita notabiliter Cin. in *dict. leg. Cum oportet, fin. column. quæst. penultim.* Bald. in *dict. §. Non autem, ejusdem legis,* & ibi alii DD.

17 Item adde, quod eo casu, quo ususfructus bonorum filii non queritur patri ex qualitate rerum, vel quia est emancipatus, potest esse ejus tutor vel curator, & tenetur reddere rationem & facere inventarium sicut extraneus: ita probat text. in *leg. Licet. Cod. ad leg. Falcid.*

&

& ibi tenent Bald. & alii DD. text. in *leg. Si superstitis, Cod. de Dolo,* & ibi etiam Bald. & DD. text. in *leg. Aurelius. §. Titius, ff. de Liber. legat.* & per ista jura ita tenet Bald. in *leg. Cum oportet, §. fin. Cod. de Bon. quæ liber.* & ibi Paul. de Castr. Philip. Corn. & alii DD. idem Bald. in *leg. Orphanotrophos, Cod. de Episc. & Cler. 2. col.* idem Bald. in *leg. His qui, ff. de Tutor. & Curator. datis ab is. Jas. in leg. Præses, 2. column. Cod. de Transaction.*

18 Dubium tamen est singulare in materia: Si pater qui est legitimus administrator filii ex causa justa & necessaria à jure permissa, vendat vel alienet aliquam rem immobilem ipsius filii minoris 25. annorum, an requiratur decretum & autoritas iudicis? Et videtur quod non, quia patria potestas plus debet operari & majorem effectum habet quam potestas tutoris vel curatoris; & quia lex multum confidit de patre: & in expresso isto fundamento & rationem istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Azor. in *Summa, Cod. de Bonis, quæ liber. 2. column. in medio, num. 11.* & illum dictum sequitur & reputat unicum & non alibi Bald. in *leg. fin. §. Sin autem æs alienum, in fin. & ibi* Paul. & Philipp. Corn. *Cod. eodem tit. idem Bald. in leg. 1. ff. de Rebus eorum, 1. column. in medio,* & ibi Raph. Cuman. 2. col. idem Bald. in *leg. Præses, Cod. de Transact. 1. quæst. & ibi* Paul. de Cast. Alexand. & alii DD. Jason. in *leg. Singularia, ff. Si cert. pet. 8. col. num. 14.* Sed, his non obstantibus, ego teneo contrarium, imò quod requiratur decretum & autoritas iudicis: Primò, quia cum talis venditio vel alienatio fiat nomine ipsius filii minoris, & favore minoris inductum sit quod in alienatione rerum immobilium requiratur decretum, & iste casus non reperitur exceptus, sequitur quod in eo etiam requiratur decretum. Secundò, quia in eo casu quo pater est tutor vel curator filii minoris, quia non habet usumfructum in bonis filii, vel quia filius est emancipatus, requiritur decretum & autoritas iudicis in venditione vel alienatione rei immobilis, ut in *leg. Si pupillorum. §. Si pater, ff. de Rebus eorum.* & in *leg. Cum emancipatus, Cod. de Præd. min.* ergo similiter requiratur in nostro casu, quando pater est legitimus administrator filii: & isto fundamento & consideratione ita tenet Salycet. in *leg. Præses, Cod. de Transact.* & ibi singulariter & melius quam alibi Jas. ubi late fundat & examinat; & videtur tenere Bald. in *leg. Generaliter, 2. column. num. 3. Cod. de Secund. nup.* Et licet ista videatur verior opinio in puncto juris, tamen superior est tenenda tamquam communis.

TEXT. XLIX.

M Andamos, que el que contraxere matrimonio que la Iglesia tuviere por clandestino con alguna muger, por el mismo hecho él, y los que en ello intervinieren, y los que de tal matrimonio fueren testigos incurran en perdimiento de todos sus bienes, y sean aplicados à nuestra Camara, y sean desterrados de estos nuestros Reynos, en los quales no entren sopena de muerte; y que esta sea justa causa para que el padre, y la madre puedan desheredar si quisieren à sus hijas, que el tal matrimonio contraxeron: lo qual otro ninguno no pueda acusar; sino el padre; y la madre, muerto el padre.

Id est:

Præcipimus, ut qui cum aliqua contraxerit matrimonium, quod Ecclesia clandestinum judicaverit, eodem facto, simul cum iis qui interfuerint, & qui ejusmodi matrimonii testes fuerint, incurrant in amissionem omnium suorum bonorum, quæ applicentur ad nostrum cubiculum: atque ab his nostris Regnis exulent, nec redeant sub mortis poena: Et hæc sit justa causa, propter quam pater, & mater, si velint, possint filias exheredare, quæ ejusmodi matrimonium contraxerint: quod nemo alius possit accusare vel ad iudicem deferre præter patrem, aut matrem, defuncto patre.

COMMENTARIUM

In Legem XLIX.

SUMMARIUM.

1. *Matrimonium clandestinum, quid sit?*
2. *An ista l. potuerit fieri à nostro Principe.*

Nota ex ista lege tres conclusiones: Prima, quod ille qui contraxit matrimonium clandestinum, & mediatores & testes incurrun ipsi jure poenam confiscationis bonorum & exilii perpetui. Secunda conclusio: Quod ista est justa causa, per quam pater vel mater potest filiam exheredare. Tertia conclusio: Quod solus pater potest accusare prædictos delinquentes; & mortuo patre, sola matre, & non alius de populo, nec iudex ex officio. Pro cuius perfecta intelligentia & declaratione dico: quod matrimonium clandestinum est illud, quod fit occultè, & sine licentia parentum